

**Oleum exhilarans faciem, e Psalmo CIV, vers. 15, dissertatione circulari ...
eruditorum examini sistet / [Georgius Pemselius].**

Contributors

Pemselius, Georgius.
Baier, J. W.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

[Altdorf] : H. Meyer, 1706.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g3cjccqm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

OLEVM

EXHILARANS FACIEM,

è Psalmo CIV. vers. 15.

DISSERTATIONE CIRCVLARI
SVB PRÆSIDIO

JOH. GVILIELMI BAJERI,

Philos. Natur. & Mathem. Prof. Publ.

a. d. Aprilis, cccccc VI.

*placido eruditorum examini
sistet*

A. & R.

GEORGIVS PEMSELIVS,

Henffenfelda - Noricus.

ALTDORFI,

Literis HENRICI MEYERI, Vniversitatis Typographi.

58700[2] 58700[2] 58700[2] 58700[2] 58700[2] 58700[2] 58700[2] 58700[2] 58700[2] 58700[2]

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

THE HERALDIC MUSEUM, UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

GEORGIA PEMSELEVA
HENRYSELEVA-NOMINA
JOH. GUILIELMI BAIERI
PUDIG NATURE & MACHIN. PROG. PUBL.
DISSESTITIONE CIRCALARI
SUB PREMIO
EXHILARANS FACIEM
OLHEVM
N. 5. 9.



PRO OĒ M I V M.



Er vose non minus, quam eleganter Græcus interpres argumentum Psalmi CIV. qui Hebrais est ἀντίχειρα, expressit hoc titulo præscripto: Ψαλμὸς Ἡ Δαβὶδ τοῦ Κέρους συστοιχως. Attendentibus enim patet facile, id unice per totum carmen agere sacram vatem, ut elucentem in pulcherrima mundi fabrica τὸ partium singularum ad conservationem totius spectante usu, potentiam, sapientiam, bonitatem Numinis τὸ ipse celebraret, τὸ aliis agnoscendam colendamq; proponeret. Concisa oratione τὸ grandibus sententiis amplissimas res elocutus, prolixam nobis omnium pene verborum relinquit meditationem; ut justum volumen impleturus sit, qui miranda illa Dei opera particulatim exponere cupiat. Nobis quidem latissimum hunc naturæ campum emetiri in præsentiarum non est integrum; negat tamen etiam extra oleas ferri aut à scriptoris geomētria proposto aberrare videbimus, si versiculi decimi quinti partem eam, quæ olei τὸ oleosorum in humanis rebus utilitatem laudat, qualicunq; commentatore illustrare conemur. Magna hæc dona (inquit Grotius de vino τὸ oleo, Super hunc locum) quorum excultores Græci in Deos retulere. Nos saniori religione liquorem olei præcipuum, Plinii judicio, τὸ necessarium, eo fine spectabimus, ut supremum atq; unicum Numen, hujus τὸ omnium bonorum fontem, magis magisq; agnoscamus ac veneremur. Quod ut bene feliciterq; vertat, votis ac precibus DEO supplicamus.

VERBA TEXTVS HEBRAICI
sic habent:

לְהַצָּהֵיל פְּנִים מִשְׁמָן

SECTIO PRIOR
PHILOLOGICA.

§. 1.

PRiusquam ē magno naturæ libro res hoc in textu nostro, quasi digito monstratas conquiramus, verba ipsa diligentius juvabit inspicere, ne forsan aliena aut menti Spiritus S. contraria protulisse censeamur.

§. 2. Verbum **צָהָל**, unde *Infinit. Hiph.* **הַצָּהֵיל**, equorum proprium est, ex lætitia & lascivia hinnientium: Metaphorice hominibus tribuitur, pro, *claram, lætam* vocem edere, *jubilare* (*a*); quæ tamen significatio præsentem ad locum non quadrat. Ibi enim **צָהָל** de facie hominis prædicatur, quæ neque lætam, neque aliam vocem edere satis commode dici potest. Græcus ergo τὸν **הַצָּהֵיל** latiori termino reddidit, *ἱλαρύνειν*, Vulgatus eodem modo, *exhilarare*, cum pluribus interpretibus aliis: Rabbini vero, quibus & hoc nimis improprie de vultu enunciari videtur, omisso tropo substituunt *purificare*, *nitere* (*splendere*) facere (*b*); quemadmodum & Pricæus emphatica verba Græca Φαιδρύνειν, λαμπρύνειν huc applicat, cui versioni post Tremellium ac Sim. de Muis nos etiam subscribimus, nisi quod malimus generale verbum, *pulchrum efficere*, cum B. Luthero, qui passive illud effert: *Dass seine Gestalt schön werde.*

§. 3. In explicanda voce **פְּנִים** singulari subtilitate Polydorus Vergilius (*c*) distinguit *vultum à facie*, & in textu nostro

(*a*) Buxtorff. in Lexic. (*b*) Ben Melech in h.l. (*c*) Adag. sacr. num. 690. si recte eum citavit J. Bochius Obs. in Psal. CIII. p. m. 512. nam liber ipse Vergilii jam non est ad manus.

Pro non hanc, sed istum vult intelligi; quippe (ait) cum facies sit immobilis, ab animo non movetur, sicut vultus, qui est anima ipsius imago, & juxta Tullium, (d) quot animi motus sunt, tot significaciones & commutationes valet efficere. Verum si maxime demus, (quod probari nunquam potest) faciem à vultu ex usu loquendi in eo differre, ut illa oris & membrorum nativam conformatiōnem, (die Bildung des Gesichtes) una cum carnis cutisque ordinario statu, hic temporarium solum oris habitum, frontem, pro affectuum varietate nunc caperatam, nunc exorrectam, coloremque ex eadem ratione mutabilem denotet; etsi etiam faciem, dicto significatu acceptam, animi motibus immobilem esse largiamur: hoc tamen non impedit, quo minus vel alimentis, vel medicaminibus pulchrior ac nitidior reddi queat; quinimo tales mutationes faciei præ vultu tribui fas est, hanc ipsam ob causam, quia vultum unice ab animo formari ac disponi Vergilius contendit. Quodsi igitur agnoscamus, Psalmum nostrum originem nitoris aut pulchritudinis τῶν פנֵי adscribere oleo, utique argumento inverso dicendum erit, per vocem eam non innui vultum, ex mente Vergilii, sed faciem. Prīcēs in h. l. Faciem heic καὶ οὐκενδοχλῶ intellige totum caput: Quanquam nec displicet hac etiam parte versio Lutheri, quæ humani corporis habitum (die Gestalt) universè Hebraico פנֵי substituit; quandoquidem & Buxtorffius aspectum, superficiem, & quamlibet externam anteriorem rerum speciem aliàs hoc vocabulo notari ostendit in Lexico.

§. 4. Significatio Nominis ἡμ̄ late patet, & olei pinguiumque genus omne includit; saepe tamen peculiaribus speciebus exprimendis adhibetur. Sic v. g. pinguedinem hominis internam, subcutaneam indicat Ps. CIX. 24. opimos adipatosque cibos Es. XXV. 6. oleum lucernæ (הטאוֹר נֶשֶׁב) nec non unguentarium (המְשֻׁרָּה שְׂטָן) Numer. IV. 16. Quæ

* (6.) *

nostro textui magis congruat acceptio ; sequentia docebunt.

§. 5. Nempe, ut ex vocibus haetenus sigillatim consideratis integrum necamus propositionem , habita ratione particularum Hebraicæ dictioni præfixarum , hæc nascetur versio : *Ut nitentem (pulchram) reddat faciem oleo*, vel *præ oleo*; prout particulam *in nomini in prefixam*, aut *effectivè* (*pro à, ex, per*) aut *comparativè* (*præ, magis quam*) exponas. Qui priorem tuentur sententiam , subjecti loco Deum subaudiunt, hoc sensu : *Deus pulchram reddit faciem hominis mediante oleo*, seu generalius, *pinguedine*. Sed quando nunc porro definiendum est , quænam pinguia & quo modo id præstent , interpretum alii provocant ad unguenta odorifera , gratiam & nitorem corpori conciliantia , alii accipiunt de oleo ardente in lampade , unde noctu illustrantur facies hominum (e). Enimvero , sicut istam expositionem de oleo unguentario (adde & cibario) facile admiserimus , ita hanc , de oleo lucernarum , haud assequi mentem Scriptoris sacri persuasi sumus. Præterquam enim , quod verbum *לְהַז* majus quid importat communi illa radiorum luminis , à lampade accepti , reflexione , etiam usus loquendi non fert hanc phrasin , *oleum illustrat faciem hominum* , pro , *flamma ellychni oleo imbuti & accensi illustrat &c.* perinde ut nemo , de luce candelarum loquens , sebum aut ceram illuminare objecta dicit. Similiter , ne quis hunc alterum è textu exsculpat sensum : *Vinum lætitiat cor hominis , nitere faciendo vultum pinguedine interna subcutanea* , ipsius vini obstat natura , quod modice usurpatum spiritus serenat , animat , corpus sanum præstat , confortat ; (f) obesitatem tamen per se corpori non inducit , nisi forte quatenus coctionem ac digestionem cibi solidioris promovet.

§. 6. Qui Hebr. *in vino reddunt præ oleo , magis quam oleum*, propositionis subjectum & ipsi constituunt *vinum* , primamque

(e) Vid. Munsterus in h. l. (f) Vid. Celeb. D. Wedelii Exercit. de Vino Medico. Dec. IX. n. IV. p. 32.

que adeo versiculi partem cum media jungunt ; sed ita , ut
 plane aliis prodeat sensus , à Sim. de Muis (g) hoc verborum
 ambitu circumscriptus : *Deus quoq; è terra vinum producit , cu-*
jus beneficio cor hominis sic recreatur , ut etiam facies ipsa , in
qua statim latitia cordis sese prodit , hilarior efficiatur , magisq;
splendescat , quam si oleo esset peruncta. Diffiteri non possumus ,
 huic interpretationi & syntacticam favere constructionem ,
 & quæ illa de vino enunciat , vero esse consentanea : cæterum ,
 licet à versione primo loco nobis laudata quam longissime
 videatur recedere , quando aliud est dicere , *Deum nitidam*
reddere faciem oleo , aliud , Deum producere vinum , quod nitid-
diorem reddat faciem , quam reddi possit oleo ; facile tamen ap-
 paret , utrinque oleo concedi vires cosmeticæ , eo solo inter-
 cedente discrimine , quod ibi quidem directe asserantur , hic
 tanquam aliunde jam notæ , in comparisonem trahantur .
 Agnovit hoc pridem Vatablus , qui adductis in medium am-
 babus explicationibus , cum neutram rejecisset , tandem con-
 cludit : *Hoc nitore faciei videtur significari unguentorum usus.*
 Quare & nos , id ipsum , quod rei caput est , obtinuisse con-
 tenti , electionem sententiarum dexteritati lectorum relin-
 quimus , & missa ulteriori censura critica , ad physicam olei
 contemplationem , quoisque textui nostro illustrando ea in-
 servit , adjicimus animum .

SECTIO POSTERIOR PHYSICA.

Pars prima , sistens Phænomena.

§. 1.

QUAMVIS hac vice non alia ratione spectamus oleum &
 oleosa , nisi quatenus adjumento sunt homini ad pul-
 chritudinem corporis sive tuendam , sive conciliandam ; di-
 stincte tamen agendum erit de usu eorum tum interno , tum
 exter-

(g) in Comment. super h. l. pag. 607.

externo, quia utrolibet modo exserere virtutem suam deprenduntur. Cumq; alios effectus communes habeant inter se oleosa, alii certis speciebus proprii sint, singulos iusta serie juvabit perlustrare: nec ægre laturum speramus Medicorum ordinem *luminosum*, si ab ipsorum experientia quædam heic mutuabimur.

§. 2. Generatim quidem 1.) abstergendo sordes, nitidam cutem efficiunt olea, multo certe felicius ipsâ aqua simplici, vel etiam (quod in lixiviis obtinet) salinis spiculis armatâ. Praeclarè hanc in rem Dn. Wedelius (*b*) varia, scribit, videre licet smegmata sive sapones, quorum omnium tamen potissimum ingrediens pinguisa constituunt. Licet enim sal primario abstergendi fine saponi addatur; attamen videmus oleosa etiam sibi relicta hoc præstare, in quibusdam secundario, in aliis primario, accedente cum primis frictione, lotione & abstersione. Imo dantur casus, ubi olea ipsa id exequuntur rectius. Exemplo sit oleum olivarum, quod magis activum se gerit in sordibus manuum pice collutulatarum abstergendis, quam ipse sapo. Ut eo facilius fidei habeamus Plinio, qui oleum purgare faciem (*i*) & picem ex ipsis pannis extrahere asseverat (*k*).

§. 3. Eadem opera 2.) res oleosæ superficiem cutis levigant, asperitates ejus complanant, ut & tactum blande afficiat, & politissimorum ad instar corporum splendescat. Laudatur Plinio hoc nomine oleum amygdalinum, quod cutem eruget, nitoremque commendet (*l*). Cum vero expolita sic superficies totum vultum, animi indicem, solito vividorem sistat, non mirum videri debet, quod priscis temporibus unctiones capitis in symbolum hilaritatis & compositæ mentis adhibitæ fuerunt. Respexit huc sine dubio Servator noster, quando suos ab affectata fictaque religionis specie ad seriam pietatem perducturus, sequens inter alia præceptum inculcat

(*b*) In Theoria Saporum Medica, Sect. VIII. Cap. II. p. 235.

(*i*) Hist. Nat. Lib. XXIII. cap. IV. (*k*) Lib. XXIV.

Cap. I. (*l*) L. XXIII. cap. 4.

(9.)

inculcat (m): *Quum jejunaveritis, ne sitis velut hypocrita; vultu tetrico; obscurant enim facies suas, quò perspicuum sit hominibus, ipsos jejunare.* -- *Tu vero quum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunare.* Dum faciem hic lavari, caput ungi Christus jubet, non facies ab ipsa unctione excluditur. Solebant enim veteres largius perfundere verticem odoribus liquidis, ut vultus quoque iisdem imbueretur, quod *Psalmus CXXXIII.* docet, mentionem faciens olei boni super caput, descendantis in barbam Aharonis. Similiter Athenæus (n): *Cum pueri unguenta in vasculis aliis aureis, & in alabastris circumferrent, quidam Cynulcum intuitus, illius faciem unguento plurimo perunxit.* Cæterum locatio communiter antecedebat unctionem. Homerus *Odyss. III.*

*'Αυτῷ ἐπεὶ λύσεν τι, καὶ ἔχεισεν λίπ' ἐλαῖον,
Πέρρο, postquam lavit, & unxit pingui oleo.*

Et Lib. XXIII:

'Ευρυνόμη ταῦτη λύσεν, καὶ χρῖσεν ἐλαῖον.

Eurynome gubernatrix lavit & unxit oleo.

Confer. Athenæus Lib. IX. Cap. XXVII.

§. 4. Sicubi etiam 3.) contingat, cuticulam vel in coryza per pituitam acrem erodi, vel hieme & primo vere frigidioribus ventis aduri, vel aliunde fissuras contrahere, præsentissimum remedium dant oleosa externe illita. Utque nunc varia diversæ compositionis unguenta taceamus, vulgaris ac facile parabilis contra manuum fissuras medicina est sebum liquidum cerevisiæ calidæ permixtum & lavandis manibus applicatum. Alii flore lactis utuntur, successu non pœnitendo. Oleum vero olivarum, & ex eo parata, externe in lepra, tinea, fissuris, scabie ipsa sicca, inservire, dicto loco notavit Celeb. Wedelius p. 229.

B

§. 5. Quum

(m) Matth. VI. 16. 17. (n) Dipnosoph. L. XV. cap. XIV.

§. 5. Quum in restaurando cutis nitore tantum valeant oleosa, non dubium est, quin 4.) in conservando eo ac defendendo possint plurimum. Et ne hoc levi conjectura ducti statuere videamur, en vobis testimonium Henr. Mundii (o): Oleum externe illitum à cæli injuriis corpus munit, tam caloris, quam frigoris. In locis igitur calidis, ubi nudi incolæ incedunt, ne cuticula solis aestuantis vehementia corrugetur, oleo aliave pinguedine cavitur: & in Septentrione, ne frigore urantur, eodem remedio prospiciunt: utrisq; igitur vestitus vicem præbet.

§. 6. Peculiaris oleoforum virtus est 5.) quod cuti molliiem conciliant, secundam, si J. B. Portæ credimus (p), facieū dotem sive præstantiam. Hæc (eodem auctore) pinguibus rebus, imò non nisi pinguibus paratur, & præcipue lacte, maxime asinino: nam cutem erugat, candori confert, & molliculam facit. Poppea certe Sabina Domitii Neronis conjux quingentas secum per omnia trahens fætas (asinæ) balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoq; cutem credens; Plin. Lib. XI. Cap. XLI. Manibus emolliendis seorsum Porta unguentum præscripsit è butyro recente, diligenter loto, cera alba, & plusculo olei amygdalarum dulcium. l.c. p.m. 392.

§. 7. Nimis paradoxum prima fronte ac tantum non ~~avocare~~ videtur Plinii hoc (q) effatum: Omni oleo mollitur corpus, vigorem & robur accipit; molliri enim & roborari vulgo inter se contraria habentur. Sed salva res erit, si Plinium emollitionem aut laxationem partium præter naturam indu-ratarum ac rigidum innuisse dicamus, quâ utique corpus pristino vigori ac robori restituitur. Atque hanc ipsam ob rem Lev. Lemnius (r) olivarum oleum 6.) laudat, ut articulis firmandis, fovendisq; membris, tum mitigandis doloribus accommodum; agilitatem enim vigoremq; iis præstat foris adhibi-tum

(o) Commentar. de Esculentis Cap. IX. p. m. 177. (p) Mag. Nat. Lib. IX. Cap. XI. & XXVII. (q) Lib. XXIII. Cap. 4. (r) Explic. Herb. Bibl. Cap. V.

tum potius, quam in corpus admissum: eo siquidem corpora perfusa non solum nitescunt, sed robur etiam concipiunt; atq; ad obeundos labores redduntur habiliora. Clemens Alexandrinus quoque (s) cum sufficere dixisset oleum αὐεῖνα τὸν νευρῶδες ad relaxandum genus nervosum, id ipsum paulo post explicat περιένεστον νευρῶδες, λε vigare, vel (juxta latinam Herveti versionem) leves agilesq; reddere nervos. Nec incongrue hoc retuleris illud Aristotelis (t): Οἱ κάποι μᾶλλον παύονται, ὅταν τὰς ἐλαίων υδωρούμενές εἰσαγένηται, fatigations (lassitudines) melius tunc cessant, cum quis aqua oleo permista se perfricuerit. Quibus admissis facile se cuivis probaverit conjectura J. H. Ursini (u), qui peregrinantes oleum in remedium lassitudinis secum quondam tulisse notat, ad Genes. 28. v. 18. Il. Paralip. 28. v. 15. quemadmodum & de unctionibus athletarum recte sensit Galenus (w), oleum tam ad exsolvendam præteritam lassitudinem, & futuram mitigandam, quam ad præparandum ad motus conduxisse. Magnum sane ad pulchritudinem corporis momentum, habere nervos & musculos agiles, artus teretes, membra sine distortionis periculo laborum patientia; quæ omnia cùm ab olei usu proficiscantur, nobis inpræsentiarum haud erant silenda.

§. 7. Similem ob rationem commendari heic merentur
 7.) olea balsamica, aromatica, sale volatili fœta, unde varii generis unguenta odorata priscum pariter ac recens seculum parare consuevit. Tametsi enim ea in Medico foro sub alia magis, quam oleorum classe stent (x), à potiori facta denominatione; Scripturæ S. tamen stylo citra controversiam sub nomine οἶνος comprehenduntur. Exemplo sit שמן משחה קירש oleum unctionis sanctum, cuius ex optimis aromatibus ad leges

(s) Pædagog. Lib. II. Cap. VIII. (t) Problem. Sect. V. quæst. 6.

(u) Arbor. Bibl. Sect. IV. Cap. 38. §. 9. (w) apud Mercurialem de Art. Gymn. Lib. I. Cap. 8. p. m. 16. (x) D. Wedel. l. c. p. 219.

artis confectione traditur *Exod. XXX. v. 22. seqq.* De hujusmodi oleis fatetur Clemens Alex. cætera severus unguentariæ voluptatis censor, dari suaves quosdam odores, qui neque torporem afferant, neque ad amorem impellant, sed sicut cum temperantia salubres, ac cerebrum quidem alant, quando male affectum fuerit: Ἐσὶ γάρ πνεῡματιαὶ εἰς καρωπικαὶ, γένες ἐρωπικαὶ· υγειναὶ δὲ μὲν σωφροσύνης, καὶ τὸ μὴ εὐκέφαλον ὑπορεόφυσι, ὀπηνία ἀν καχεντῆ. l. c. pag. 178. seq. ubi haec ipsa uberioris ostensa legi possunt. Confer. Athenæus *Lib. XV. cap. 14.* Atque hinc deducit Ursinus (*y*) appellationem *olei latitiae*, *Psalm. XLV. 8. & Esa. LXI. 3.* quod etiam *Prov. XXVII. 9.* cor exhilarare dicitur. Quicquid autem spiritus cerebri & animi nubila serenat, id vultum quoque unā lētificare credendum est.

§. 9. Immensum foret persequi oleorum species infinitas, & singularum evolvere virtutes cosmeticas, maxime, si compositorum quoque habenda esset ratio: Ex Athenæo enim (*z*) discimus, antiquos singulis membris humani corporis peculiaria destinasse unguenta. Jungemus ergo saltem his, quæ supra exempli loco fuere adducta, unum alterumve simplicius, in cæteris Lectorem ad Plinium, Athenæum & similes alios Scriptores remittentes.

§. 10. *Omphacium* aut *omotribes* dicitur Græcis oleum, quod è baccis oleæ nondum maturis exprimitur. Prodest gingivis: si contineatur in ore, colore dentium custodit magis, quam aliud. Plin. *Lib. XXIII. Cap. IV.* Idem prædicatur l. c. de *Myrteo & Cupressino*. Confer. Clem. Alex. d. l. p. 183.

§. 11. Olei amygdalini antea meminimus. Affinia illi sunt, quæ ex avellanis nucibus & glandibus elicuntur, ambo ad cutis nitorem præcipua (*a*); & posterius quidem convenire aliquibus videtur cum *balanino* oleo Plinii, quod, ipso docente, repurgat *varos*, *furunculos*, *lentigines*, *gingivas*. l. c.

De

(*y*) *Hort. Aromat. Cap. IX. p. 267.* (*z*) *Lib. XV. cap. 15.*

(*a*) *Lemery Cours de Chymie P. II. pag. 49. § I.*

De rhaphanino oleo ibidem Plinius: *Scabritias cutis in facie emendat.* Myrrhæ oleum per deliquum (si modo dicendum est oleum) mire commendant J. B. Porta (β) & Nic. Lemery (γ) ille ad erugandam faciem, hic ad lenticulas & lichenes tollendas.

§. 12. *Intra* corpus quidem ore assumta oleosa, præser-tim solitaria, nauseam potius excitare solent, quam vigorem; & facultates, queis pollent, nutriendi, ciborum cruditates corrigendi, acrimoniam obtundendi, utut in se præstantes ac utilissimæ, forte cuiquam censori rigido generaliores videri queunt, quam ut inde nitorem faciei humanæ, convenienter scopo textus nostri, deducamus: Supereft tamen illis specia-lior virtus *anthelmintica*, seu vermium in humano corpore domitrix, quam paucis hic annotasse, minus poenitebit. Nempe Medicorum constat experientia, lumbricos intesti-norum plerumque pallorem inducere faciei, nonnunquam & maciem, (δ) insigni formæ detimento: enim vero Philoso-pho teste (ε) πάντα τὰ ἔντομα δύσθυνται ἐλαύνουσα, omnia infesta intereunt oleo tacta, & qui hoc in corpore nostro perfici possit, exemplis pariter ac rationibus docuit Excell. Wedelius l. c. p. 238. seq. Sublata ergo per oleum deformitatis cau-sa, vultui suum decus redire necessum est.

SECTIONIS POSTERIORIS

Pars altera, *Phænomenorum adductorum causas memorans.*

§. I.

Quemadmodum effectus corporum naturalium ab ipso-
rum facultate agendi, & hæc à natura & constitutione
corporum profiscuntur: ita dum olei in ornando hominis
B 3 corpo-

(β) l. c. cap. XXIV. (γ) Part. II. p. 263. (δ) Mercurial, de
Morb. Pueror. Lib. III. Cap. 3. (ε) Histor. Animal. Lib.
VIII. cap. 27.

corpore efficaciam è suis causis demonstrare in nos recepi-
mus, naturam prius ejusdem rimari atque explicare oportet.
Supersedebimus autem hac vice pluribus quæstionibus, ea de
re passim ventilari solitis; v. g. an oleum generetur ex sale,
an ex aqua? num corpuscula ejus mutari possint essentialiter,
nec ne? satis habituri ad propositum, si collatis inter se ge-
neralibus materiæ conditionibus, & olei proprietatibus præ-
cipuis, rationem ejus formalem, velut à posteriori cognove-
rimus.

§. 2. Dicemus itaque 1.) cum Democrito (ζ)oleum esse
λεπτὸν καὶ μικρὸν, tenuē & parvum, hoc est, partibus admodum
exiguis & subtilibus proxime compositum. Non solum enim
plurimorum corporum angustos poros facile subit, sed &,
si D. de Stair credimus (η), per poros laxiorum vitrorum ex-
fudat, ubi aqua transire nequit. Quo ipso interim haud ne-
gamus, dari etiam inter olea diversos subtilitatis gradus, & alia
aliis esse tenuiora, prout ex Ang. Sala docet H. G. Herfelt in
Philosophico Hominis Lib. I. §. 27. 28. & 32.

§. 3. Est verò oleum 2.) simul *viscidum & lentum*; quod
particularum ejus non nudum contactum, sed mutuam im-
plicationem atque cohærentiam arguit. Hinc ergo, licet
aqua tenerius ac levius sit, multo tamen difficilius in halitum
resolvitur, nec per Chemicorum vasa rite stillat, nisi prius
partes ejus admixtis corpusculis terreis aut salinis fuerint ab
invicem diuulsæ (θ). Pari tenacitate pinguia adhærent cor-
poribus aliis, vestium v. g. omni generi, unde non venti,
non caloris agitatione satis excuti possunt.

§. 4. Judicio sensuum gustus & tactus, 3.) *mollia, blanda,*
dulcia deprehenduntur olea, præsertim puriora, quæ D. de
Stair vult prorsus esse insipida, idque probat exemplo recen-
tis purificati olei olivarum, quod non minus insipidum sit,
quam

(ζ) apud Theophrastum de caus. plant. Lib. 6. cap. 2. (η) Phy-
siol. Experiment. Explor. XII. Sect. III. §. 22. (θ) Vid.
D. Wedel. l. c. p. 230.

quam purissima aqua, l. c. §. 21. Oportet igitur habere partes non rigidas, sed flexiles & plicatiles, quæ sensorio admotæ, non pungant illud, aut aliam impressionem vividam efficiant, verum mox in se recurvatæ, superficie linguæ aut manuum cedant. Willius de *Anima Brut.* P. I. Cap. XII. n. 8. saponrem istum *unctuosum* vocat, pro eoque declarando, particulas ut plurimum sphæricas & globosas tribuit oleis, quæ, ut pote aculeis & cuspidibus destitutæ, tantum leni ac molli allapsu demulceant sensorium. Sed non apparet, qui cum molecularum figura sphærica tenacitas ipsarum & implicatio mutua possit conciliari: perinde, ut admissâ partium rotunditate, vix invenies rationem, cur 4.) oleum frigore coagulatum, ut olivarum, raparum, anisi, quin omnia oleaginea crassiuscula & adiposa, non tantum spatium exigant, quam si liquida sunt; quod institores, qui mensura illa distrahunt, sciunt, unde hie me cum suo damno se illa vendere inquiunt (1). Sane enim globuli solidi, quales Willius supponit, nunquam proprius ad invicem accedere, aut in angustius spatium cogi queunt, salva manente figura sua, nisi antea per intermedium corpus aliud se juncti & contactu quoque prohibiti fuerint; quod de pinguedine viscida neminem dicturum credo.

§. 5. Tametsi 5.) Oleum in triplici statu reperitur, aut firmum, aut fluidum, aut volatile; Stairius tamen observavit, tunc demum esse fluidum, cum calor seu igniculi in eo ita abundant, ut à gravitate & tenacitate olei non supprimantur, sed naturali suo motu circa sua centra rotantur, & oleosa stamina circumvoluta secum deferunt, & in glomulos conglobant; recedere autem oleum à fluiditate sine ulla positiva causa efficiente, sed tantum deficiente, nempe cum aufertur ignis, aut cum calor debilitatur.

§. 6. His ita positis, non videtur alia corpusculorum figura quadrare ad proprietates olei, præterquam *ramosa*, *Cartesianis*

(1) Herfelt l. c. §. 31.

tesianis dudum recepta. Secundum hanc enim partes oleosæ erunt stamina seu filamenta tenuissima, variis quasi brachiis aut processibus lateralibus instructa, qualiter lanæ, aut gossypii, aut serica fila minutim discerpta, microscopiorum ope conspicuntur. Prout ergo laneorum hujusmodi aut sericorum staminum congeries varum ac tenue corpus efficit, sic ex oleosis ramulis liquor aut massa tenuis levisque prodibit, ipsi vero ramuli singuli extremitatibus suis tenerrimis facile corporum poris se insinuabunt, & superficierum prominentiis adhærebunt. Quemadmodum porro stamina lanarum, beneficio figuræ & flexilitatis suæ, mutuò ita nectuntur & implicantur, ut vel netricis manu tractæ, amplexus suos non dimittant: sic oleorum è ramosa figura tenacitatem eam sequi necessum est, qua per calorem se prius in bullas expandi, quam divelli & exhalari patiuntur. Quinimò, veluti plumbulæ & lappæ, & gossypii fila minora, à vestimentis ægre absterguntur, sed unâ parte excussa, mox alibi ramulos suos intimius figere solent; ita & in oleorum similibus particulis rem similiter se habere, concludere licet. Mollitiem ac dulcedinem pinguium referimus tum ad stamina tenuia, quæ sensorio facilius cedunt, tum ad raritatem texturæ, quæ spatiū cedendi staminibus largitur, simulque causa est, cur olea frigefacta condensentur. Nempe antea cœlestis ignis majori radiorum efficacia inter illorum ramulos adigebatur, illosque commovebat, eo modo, quo vento rami arborum adacti in majus spatiū diducuntur: crescente autem aëris frigidi pondere, corpuscula ignea expelluntur, & ramuli contra oleosi in latebras ab istis derelictas se recipiunt, non secus, atque in spongiis violenter compressis fieri, oculis cernimus. Ex eadem ratione deduxeris denique & illud phænomenon, quod olea, vel levi ingruente frigore, fluorem amittunt; quia scilicet residuus intra poros calor modicus, non amplius agitandis ramulis intricatis sufficit.

§. 7. Est hæc genuina Cartesii & Sectatorum ejus de ramosis olei corpusculis sententia, quam non satis perspexisse videtur Stairius, circa eam sequentem in modum disputans: *Nec est necessitas, nec probabilitas, supponendi corpuscula oleosa esse ramosa, nam flexibilitas aut ramositas non infert cohesionem aut tenacitatem, nisi per innodationem, quæ raro & difficulter contingit, optime tamen per asperitatem, aut extuberancias; ita videmus stamina cannabis, lini, serici, &c. in filamenta neri contorquendo, quod fieri non posset, si essent prorsus polita & glabra, sed habent undequaq; asperitates, quibus irretiuntur, alioquin ex mutuis amplexibus facillime divellerentur; ergo transversales particulae corpusculorum unionem secundariam & tenacitatem olei efficiunt, sine ramulis. l.c. §. 38.* Quasi vero ramositas & flexibilitas essent Synonyma, aut darentur ramuli prorsus glabri & asperitate atque extuberantiis carentes. Sane Cartesianis id nunquam in mentem venit asserere, & si, quod res est, fateri velimus, eorum ramuli oleosi, Stairiique stamina particulis transversalibus instructa, vix differunt inter se, præterquam nomine, modo fiendi, & leviculis circumstantiis aliis.

§. 8. Quodsi cuiquam descriptio olei per figuram & qualitates particularum componentium, generalior paulo videatur & non sat is exprimere quid rei sit, promptissime dicemus juxta Chimicorum principia, oleum purum esse corpus sulphureo-aqueum, quatenus sulphur denotat omne id, quod ardet, aqua vero primum fluidum habetur, quod mixtis fluorem impertit. Sed tempus est, ut dicta ad olei virtutes cosmeticas transferamus.

§. 9. 1.) Sordes cutem nostram deformantes nihil aliud sunt, quam diversorum corporum ramenta, quæ vel sudoris glutinamento, vel propria tenacitate superficie cutis striatæ porosæque adhærent. His ergo eruendis nihil aptius excogitari potest, subtilibus olei ramulis, qui ob suam flexilitatem cuti undique & arctissime applicati, molestos hospites istos supplantant, removent, & viscidine staminum suorum involutos secum trahunt. Aqueæ partes solæ obtusæ nimis videntur ad hoc efficiendum & glabræ; salinæ acutæ quidem satis, at propter rigorem suum non ad omnia loca

versatiles: ambæ oleosis sociatæ omne punctum ferent. Speciatim, quum olea fluida menstruum genuinum constituant bituminum, ceræ & similiūm (n), hariolari facile est, qui manus pice collutulatas oleum olivarum repurget.

§. 10. Splendorem 2.) lævitatemque cuti conciliant oleosa, dum asperitates prominentes alias leniter abradunt, alias deprimunt & subjectis partibus quasi agglutinant, semetipsa vero intra cava-
tes superstites recondunt, ut jam tota superficies plana, & æqualis evadat. Hinc non solum tactus, lævigatum esse corpus, judicat, sed etiam radii luminis, è cuticula sic expolita citra debilitationem insigniorem reflexi, vultum splendentem visui repræsentant.

§. 11. Erosæ rebus acribus & fissuris laboranti cuticulæ 3.) me-
didentur oleosa, quatenus particulas acres, jam actu rodentes, tenaci-
tate sua involvunt ac velut obtundunt, alias ab extra superventuras excludunt, parietes divulsos blanda humiditate demulcent, superfi-
ciem denique exasperatam complanant.

§. 12. His observatis statim fieri manifestum, 4.) qua ratione
cum à frigore, tum ab æstu solari cutem defendant oleosa. Scili-
cet fervidiori sub climate radii solares directe in corpora vibrati,
ignea agitatione sua internum humorem è poris cuticulæ expellunt
dissipantque, ipsam vero pellem hinc subsidere faciunt & rugis de-
turpant: quæ mala incolis optime cavent olea externe illita. Ex-
cipiunt enim primos radiorum impetus, sed & à superficie polita
speculorum more reflectunt, (id quod splendor unctorum arguit;) neque tamen vel ipsa exhalantur, obstante ramulorum implicatione,
vel corporis humores è poris abs se clausis multum exhalari patiun-
tur. Non alio fine mulieres Italæ, antequam sub sole ambulent,
faciem ovorum albumine cum tantillo amyli agitatis & remistis lo-
ricant, (ut est apud Portam Lib. IX. cap. 19.) quam ne lumen à po-
lito tectorio repercussum, cutem adurat aut fuscum efficiat.

§. 13. Etsi formalem frigoris rationem hodie plurimi ponant
in privatione caloris, fatentur tamen, aduersionem illam, quam venti
gelidiores extremæ cuti inferunt, deberi lamellis glacialibus vapo-
rum,

porum, cum aëre gravi frigido vehementius appulsum. Sed & huic violentiae felici successu opponitur integumentum oleosum, quod poris occlusis nec internum calorem exspirare, nec acie glaciali fibras cutis lacerari permittit, sicut & ipsum oleum, ob natum calorem, intra ramulos suos habitantem, vix ullo frigore penitus congelari potest. Eodem remedio & modo *perniones* quoque, *phlyctenæ* & affectus similes à frigore oriundos, quos Mundius recenset, de *Aëre vitali* cap. V. averti credimus.

§. 14. Emollire 5.) cutem solent oleosa, dum partes siccitate nimia induratas unctuosa mucilagine sua non extra solum hume-
tant, sed in poros etiam subrependo eosdem dilatant, ut fibræ cu-
tis molli & lubrica ista materia stipati, non possint non pariter in-
flecti magisque mobiles redi. Nec improbabile est, accedente fri-
ctione callosam superficiem tenuibus ramulis sensim abradi, & hac
simul via mollitiem ac teneritudinem epidermidi conciliari. Mi-
rabilem in lacte temperaturam seri, salis ac blandi sulphuris hunc ad
finem commodissimam esse, nemo dubitabit; & Poppæa quidem
Sabina non temere elegit asinimum, si verum est, quod Mundius (λ)
contra Plinium tuetur, id existere, post humanum, omnium te-
nuissimum.

§. 15. Non longius abeundum nobis est, ut ostendamus, quo-
modo 6.) lassitudinem præsentem tollant, futuram mitigent, mem-
bra ad motum præparent, vigorem ac robur iisdem tribuant oleosa.
Lassitudo enim, è labore duriori nata, subsistit fere in torpore spi-
rituum animalium, nervisque & musculis ob humidi defectum &
nimiam tensionem rigidibus. Hæc incommoda removentur, si
molles fluidasque olei particulas & sulphur roscidum intra poros
frictione adigas, vel solas, vel salinis aut aqueis permixtas. Credi-
derim autem, aquam oleo additam refrigerando potius prodesse
membris ex motu ferventibus, quam efficere, ut oleum magis sub-
ire & penetrare queat, quod quidem Aristoteli videtur: sicut nec
probamus, quod idem afferit, oleum calore suo siccare corpus & in-
durare (μ). Calida enim exsiccantia & indurantia effectum suum

præ-

(λ) de Escul. Cap. VI. (μ) Probl. Sect. V. quæst. 6.

præstant, humorem expellendo, quod de unctione oleosa adeo non procedit, ut sudores potius & transpirationem immoderatam comprimere credatur (v). Atque hac ipsa virtute, nec non humectandi & emollienti facultate oleum ad motum disponere membra, futuræque fatigioni prospicere, persuasi sumus, ut nova demonstratione res non indigeat. Si tamen forte quis ambigat de olei ad interiora corporis penetratione, ei vel solas unctiones mercuriales in memoriam revocabimus, ubi pin-guia vehiculi vice serviunt mercurio per cutis poros ingressuro.

§. 16. Optime Plinius odores servari scribit in oleo (o). Corpuscula namque balsamica & sales volatiles commodam sedem reperiunt in ramulorum intersticiis, imò ex Chemicorum mente odores nihil aliud sunt, quam sulphura cum sale volatili maritata. Non mirum ergo, si 7.) unguenta odorata spiritus recreant ac totum quasi hominem reficiunt, quando è penu suo moderate & constanter subtilem materiam exhalant, quæ nervosas sensorii membranas suaviter titillat, aliquando & fortius commovet, eumque motum per spiritus in cerebrum usque transmittit, ubi cæterorum spirituum similis agitatio sequitur, mox in alias corporis partes redundans. Nil dicam de eo, quod aromata oleis addi solita partium elaterem ac tonum roborant, obstructa reserant, serum excedens corrigunt, observante sæpius laudato D. Wedelio, *Theor. Sap. Sect. IV. Cap. 2.*

§. 17. *Omphacinum* oleum ramulis gaudet à solis calore nondum sati attenuatis & sale insuper acidulo refertis: inde adstrictionis est particeps, qua vi corporis partes hiantes ac dissolutæ coalescunt atque uniuntur (w). Cumque gingivarum familiare vitium in laxitate & resolutione putrida, consistat, utrinque consolidando & fibras constipando prodet; quod item de *myrsino* prædicat Clemens Alex. d. l. μύρτιον ἡ, τὸ καὶ μύρτων ἡ μυρρώνς, συμπλέκειν. Eadem ferè ratio est *myrtei* puri & *cupressini*. Gerunt enim ambo, vel sapore judice, inter ramulos suos, corpuscula salina, stringentia. Dentium nitorem custodit omphacium, dum acie particularum suarum fôrtes abradit ac solvit, viscedine autem involvit.

§. 18. Quæ §. 11. Part. præced. memoravimus olea, ex *amygdalis*, *nucibus*, *glande*, *semibulus* expressa, cuncta participant aliquid terræ blandioris, ac proinde refrigerant, siccant, acres particulas absorbent; quæ omnia ex hypothesi generali nullo negotio deduxeris. *Myrræ* oleum ad myrtleum propius videtur accedere, de quo jam dictum.

§. 19. De virtute oleorum *anthelmintica* bene judicat Alexander Aphrodisi. *Problem. 65.* enegri insecta, prohibita ex olei obstrictione nativa eorum spiratione. Malpighius enim in *bombycibus* aliisque erucarum speciebus detexit foramina quædam in exteriore corporis habitu patula, & in vasa quædam introrsum terminata, per quæ aëris actionem, respirationis æmulans, fieri probabile videtur. His itaq; meatibus olei substantia tenui tenacique obstructis, insecta mox suffocari necessum est, quod experimentis probat Malpighius *de Bomb. p. 13.* Extinctos autem in corpore humano lumbricos, oleum, lubricando alvum ad extra deniq; provolvit.

(v) Mercurial, de Art. Gymn. L.I. cap. 9. (o) Lib. XIII. cap. 2. (w) Lemnius l. c. cap. V.